



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Martyrologium Usuardi Monachi**

**Usuard**


**Antverpiae, 1714**

Facultas R.P. Provincialis Societatis Jesu Flandrobelgicæ, Et Summa  
Privilegii Cæsarei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80973)


FACULTAS R. P. PROVINCIALIS  
SOCIETATIS JESU FLANDROBELGICÆ,  
ET SUMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

Um Edictis Philippi II Hispaniarum Regis, deinde Serenissimorum Archiducum Alberti & Isabella, Belgii Principum, rursusque Philippi III, ac novissime Caroli II, Regum, confirmatis die II Decembris MDGXCII, & XIX Junii MDCXCIV; Provincialibus Societatis Jesu, per Flandrobelgicam pro tempore futuris, potestas facta sit eligendi Typographos & Bibliopolas, qui, ad quorumcumque aliorum exclusionem, soli imprimere ac reimprimere possint libros & opera qualibet, rite approbata, curantibusque ejusdem Societatis Patribus edita aut porro edenda, sub consueto suæ Majestatis Privilegio, non aliter impetrando, quam in scriptis obtentâ & præexhibitâ licentiâ prædicti Provincialis; idque sub gravibus pœnis, in contraventores aut aliter impressa importantes statutis, ut latius in ipsis patentibus litteris apparet. Quod ipsum cum etiam sua Cæsarea Majestas valere voluerit in ditionibus, S. R. Imperio subjectis;

Ego infra scriptus, Societatis Jesu per Flandrobelgicam Provincialis, potestate ad hoc mihi facta ab Adm. R. P. N. Præposito Generali MICHAELE ANGELO TAMBURINO, Concedo Joanni Paulo Robyns, Typographo Antverpiensi, facultatem imprimendi & per se aliosque vendendi, MARTYROLOGIUM USUARDI MONACHI, recensitum, expurgatum & illustratum per Joannem Baptistam Sollerium Societatis nostræ Presbyterum Theologum. In quorum fidem hæc manu nostra subscriptas, consuetoque officii sigillo munitas dedi Antverpiæ XXIV Augusti MDCXCIV.

JOANNES BRAZE.

SUMMA  
PRIVILEGII REGII

Regiæ Majestatis diplomate sancitum est, ne quis, præter voluntatem DANIELIS PAPEBROCHII è Societate Jesu, ejusve ad illustranda SANCTORUM ACTA Adjutorum & Successorum, ullo modo imprimat vel recudi faciat, ex parte vel in totum, Tomos eorundem, de argumento illo, vel jam editos vel porro edendos, aut alibi excusos excudendosve invehat, venalesve habeat: qui secus faxit, confiscatione exemplarium & aliis gravibus pœnis mulctabitur; ut latius patet ex litteris Bruxellæ datis.

Signat.

LOYENS.

Et ego CONRADUS JANNINGUS Societatis Jesu, Joanni Paulo Robyns, Typographo Antverpiensi, permitto, ut MARTYROLOGIUM USUARDI, partem Tomi VI de ACTIS SANCTORUM JUNII, etiam seorsim impressum, publicet. Datum Antverpiæ VIII Kalend. Septembris MDCXCIV.